

CAPVT QVINTVM.

Illudque brevissimis hic tracto, eò quod multò prolixior, pleniorque tractatio hujus thematis lexico meo à me præfigenda sit, quâ ostendero, quales virtutes afferre doctor pariter ac discipulus ad hæc studia debeat, quem animum, quibus subsidiis fulcire queat, quibus in terris alia aliaque ratio ineunda sit, pro subsidiis aut abundantia aut defectu, pro reliquarum cognitione jam præcedente aut neglecta, pro academiis in diversis regnis, imperiis ac rebuspublicis, moribus diversis, pro institutis studiorum, quantum theologo, quantum & quæ jureconsulto, medico & philosopho opus, quid illi, qui ex professo has linguas discat, olim docendi amore proposito, tentandum sit, quæ loca petenda, qui libri habendi, quid cogitandum, quid agendum, quomodo philosophandum, ubi & quæ adminicula, ubi & quæ sint dispendia horum studiorum. Quâ ampla autem patere, id jam aliquantulum in oratione utraque publica dixi, sed major ejus pars in tertiâ ea oratione, quam adhuc premo, nec publicè habui, remansit. Quod si vero illa publicè non sit recitanda, eadem materia ex bibliothecâ meâ orientali, quæ jam Ultrajecti imprimetur, lucidè patebit. Hoc tamen in docente, & discente præcipuè agnoscendum requirendumque est, ut alter velit *μαθητεύειν ἀναπαύσας*, alter *διδάσκειν ἀνεπιφθόνως*: uti elegantissime scribit basilius ad gregorium magnus ad magnum, Et quanquam manus mea ad clausulam hujus capituli spectet, non possum tamen facere, quin hic indicem facillimum modum arabicam linguam addiscendi, ut neque ad significationes vocum & radicum vel lexico opus sit, vel memoria. Statuo posse totam linguam perfectissimè addisci, solâ lectione idoneorum autorum in his linguis extantium, observatis solum certis quibusdam gradibus. Nam sic petitur cælum. Ante omnia, quam primum legere queas, allabora ut habeas N. T. arabicum, jam ante aliquot sæcula versum, & à cl. erpenio editum, itemque pentateuchum arabicum ab ipso editum. Cum enim totum N. T. nobis christianis sit notissimum quotidianâ omnino tractatione, & in templis pro concionibus explicatione, hinc fit, ut mirum non foret, si omnibus

bus